

aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur. Ideoque sequestrum is dicit sequi eos, qui contendunt. Sed contraria plane et inuersa ratione AVLVVS GELLIVS <sup>g)</sup> vocabulum hoc, ait, a sequendo factum est, quod eius, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Quae totidem verba seruauit ISIDORVS HISPALIENSIS, dum huius vocis originem descripsit <sup>h)</sup>. Recentioris aevi critici aut alterutram harum definitionum sequuti sunt, aut nouas aliasque ingressi sunt vias. ANDREAS quidem ALCIATVS, quis enim dignior inueniri potest, qui primo loco nominetur? MODESTINI rationem improbauit, et sequutus videtur GELLIVM <sup>i)</sup>, hac ratione potissimum motus, quod *occurrere* et *sequi* pro similibus adcipiat iureconsultus, quum tamen haec non tantum diuersa, sed plane contraria videantur. Quam quidem dubitationem licet non nulli probarint <sup>j)</sup>, a plurimis tamen reiecta ea est. Ita, ingeniose, sed nimis subtiliter, vt mihi quidem videtur, PETRVS PERRENONIVS <sup>m)</sup> duobus his verbis duplex sequestri genus denotari censuit, alterum eorum, qui sponte se ac suam operam contendentibus offerunt, alterum eorum, qui electi electionem, adprobant. Magis placet LVDOVICI

CHA-

g) in *Noct. Attic. Lib. 20. c. vlt.*

h) *Lib. 10. Origin. s. etymologiar. s. v. sequester.*

i) Ita enim apud multos scriptum inuenio, quibus contigit illa felicitas, ALCIATVM inspiciendi, qua destitutum me queror. Auctores sequutus sum hac in re IO. CORASIVM *Lib. 3. Miscellan. c. 2. n. 4. 5.* LVDOV. CHA-

RONDAM *περὶ τανῶν L. 1. c. 6. n. 3.* in *Thesaur. EV. OTTONIS Tom. 1. p. 700.* et alios.

l) vt CORAS. loco, quem modo diximus, et IOA. BRECHAEVS *ad c. 110. D. de V. S.*

m) *Animaduers. et variar. lect. Lib. 1. c. 15.* in *Thesauro Iuris EV. OTTON. Tom. 1. pag. 611.*